



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De 3. Præcepto Eccles.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

DE III. PRÆCEPTO
Ecclesiæ.

Confessionis faciendæ.

1 **C**irca tertium præceptum Confessionis, tenetur quilibet Christianus, ex quo peccauit mortaliter, semel in anno confiteri. Ad cuius præcepti obseruationem sufficit, si confiteatur in Paschate. Si autem non confiteatur in Paschate; debet alio tempore confiteri: ita ut verum sit, quòd semel in anno saltem confiteatur. Quando autem incipiat hic annus; probabile est incipere ab illo die, quo quis incidit in peccatum mortale: ita ut intra annum à tali die, teneatur confiteri. Item tenetur quilibet confiteri in articulo, vel periculo probabili mortis: aut cum esset vnicum remedium confessio ad vitandum peccatum mortale: aut si non esset habiturus suo tempore copiam Confessarij.

2. Si quis nullum haberet mortale, quod confiteretur; non obligatur hoc præcepto.

præcepto: sed ad summum sufficit, si se præsentet Confessario, dicens se non habere materiam necessariam confessionis, cum non teneatur confiteri venialia.

3. Si quis sine dolore, aut cum obice peccati cōfiteretur; aliqui putant, quòd implet hoc præceptum: sed alij probabilius asserunt non implere: nisi bona fide fuisset confessus, ignarus indispositionis suæ; in quo casu posset differre aliam confessionem in totum sequentem annum.

4. Si quia intra annum non confiteatur habens mortale; tenetur semper confiteri, quamdiu habet commoditatem confitendi: alioqui semper erit in continuo peccato: quia hoc præceptum non est affixum alicui parti anni determinatæ, qua elapsa, non obligat; sed semper obligat, donec impleatur elapso anno. Reliqua, quæ pertinent ad confessionem, dicta sunt supra, cum

actum est de Sacramento
Pœnitentiæ.